apponitur pro ſuperlativo, in ſummam nobilitatis aromatis. Exod. 30. 25. *Unctionis oleum, unguentum compoſitum opere unguentarij*: ut palam fiat unguenti ſuavitas, unctionis nobilitas, aromatum pretioſitas, & artificis dexteritas; compilat Maluenda Verſiones. *Unguentum unguenti, opus unguentarij. Pigmentum pigmenti, conditura conditura, confectio confectionis, unguentum unguentariæ operæ.*

Maluend.

55 Aliter etiam interpretari quimus per equivalentiam verbi, ut *Ungi* intelligamus Ablui, Lini, Tingi, & Medicari. Sedul. uti vidimus *num.*51. *Fovere* ſuffecit pro Ungere: ſicut Lucret.4. de *Rer.natur.* v. 697. pro unguento oppoſuit *Odorem*, per periphraſim. *Fluere rebus odores.* Homer.6. Odyſſ.v.80. *Humidum oleum, ut ungeretur.* Apuleius, 4. *Florid.* inquit: *Iam os eius unguineo odore delibutum.* Quo noteſcit per nomina & verba diverſa, ſed idem ſignificantia, Tautologiam dilui: q.d. Unguento perluit pedes: ſuper pedes unguenti alabaſtrum effudit. Athen. *lib.*9. n.17. *Utebantur autem ſmygmate manus abluentes, ut ſordes purgarent; & rebus odoratis manus inungebant.* Plin.d.*cap.*1. *Noverant iam ſucco roſæ reperto.* Unguentum ergo dictum quicquid liquoris hæret: unde epitaphium Coci, apud Aladid. in *Ezech.*24.3.

Periphraſis. Apuleius. Athen. Plin. Epitaphiũ Coci. Alapid.

Antoni, tibi pro tumulo ſint arma culinæ
Olla, lebes, ligula, trulla, patella, veru.
Ungere non opus eſt unctum, neque adurere corpus:
Cùm ſatis ad Manes unctus & uſtus eas.

Quod qualem qualem pinguedinem habet, nec facilè labitur à corpore lito: unguentum dicitur: qua voce inſignitur ablutio pedum Chriſti per Magdalenam; quoniam eſtò ſuccus liquidus, non ita labilis ſicut aqueus. Quapropter ſenſus totius teſtimonij eſt: Liquorem ſuaviſſimum, pretioſum (quod quia ex nardo dicitur Unguentum) effudit in Ieſu pedibus, quo illos obluit, & ablutione unxit.

56 Iam Tautologiæ tacta meta, verùm non impleta pagina; igitur reſtat duplex antilogia. In cœna facta Bethaniæ in domo Simonis leproſi; unguentum pretioſum effuſum à Magdalena ſuper pedes Ieſu (ſicut fecerat in converſione) dicit Ioannes loco cit. Marthæus & Marcus dicunt: *Mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Quomodò unguento pedes Ieſu lavit, dum ſuper caput effudit? Facilis conciliatio: primò liquorem pretioſum ſuper pedes Ieſu abſterſos effudit; ſed quaſi guttatim, cùm os anguſtum, ut vidimus, haberet alabaſtrum: at cùm totum unguentum ſuper caput effundere cuperet, ut nec paulatim flueret; alabaſtrum confregit: facto itaque exitu capaciore, promptiùs ſuccus odorus exivit; & domus repleta eſt ex odore unguenti. Lucan. ut diximus, *num.*45.

Ioan.12.3 Matt.26.7 Marc.14.3 *Antilogia. Magdalene caput ac pedes unxit Chriſti.*

Lucan.

—— Nondùm evanuit aura
Cinnamon, ex terna nec perdidit aera terra.

Magdalenam non niſi magna decent. *Geniali balſamo guttatim excuſſo conſpergebant plateas*: ait Apuleius 11. *Metamorph.* Magdalene fracto alabaſtró, ſuccum ſuaviſſimum pretioſiorem haud effudit guttatim, ſed ubertim. Iuvenc.4. *Hiſtor.Evangel.* à v.413.

Apuleius. Iuvenc.

—— Ecce cubanti
Accedit mulier propiùs, frangenſque alabaſtrum,
Unguenta (ab ſummo perfudit vertice Chrictum)
Quo pretioſa inerant latè fragrantis olivi.

57 Aliud occurrit dubium & cæcum, de tempore præfati obſequij erga Chriſtum. In una domo habitabant, licèt diſtinctis contignationibus, Simon leproſus, Martha & Magdalena, iuncti ſanguine, ut Caietano placet; eò quòd ibi Martha miniſtrabat, & de Magdalena dicatur, non quod alabaſtrum attulerit, ſed quòd acceperit. Ieſus ergo illuc pervenit *ante ſex dies Paſchæ.* Tunc facta unctio præſtantiſſimo obſequio. Longè aliter tempus ſignatur à Mathæo. *Scitis* (dixit diſcipulis Chriſtus) *quia poſt biduum Paſcha fiet. Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur* Caiphas::. *Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis::. Tunc abijt unus de duodecim.* Præ oculis oſtenditur antilogia. Quomodò tunc Iudas abijt ad Principes Sacerdotum, qui congregati ante Paſchæ biduum; dum unguentum expenſum ante ſex dies Paſchæ? Deinde: ſi hoc in tempore effuſio pretioſi unguenti ſuper caput Chriſti; quomodò perteſſus unctionem Iſcariotes, ante paſsionis biduum, encurrit ad Principes Sacerdotum? Ioannes ſignat obſequij Magdalenæ ſtatum diem: Matthæus Iudæ perfidi proditionis occaſionem. Refert hic quòd illa fecerat ante

Ioan.12.1 Matth.26. à 2. *Antilogia.*

quatuor dies; tunque erat biduum ante criticum paſsionis. Unde optimè quadrat; ante ſex dies factam unctionem; ex qua ante duos, propendi Magiſtrum, cogitatam invenit perfidus opportunitatem. *Evangeliſta interpoſuit* (ait Caietan. hic in *Matth.*) *commemorationem unctionis, prius factæ in Bethania; quia occaſio fuit movendi animum Iudæ: modò redit ad ſeriem facti, dicendo Tunc: non quando hæc unctio fuit facta; ſed quando congregati ſunt Sacerdotes & Scribæ in atrio Caiphæ.*

Caiet.

58 Huiuſmodi ſtylus in Scriptura non novus: igitur per Enallagen tempus unum uſurpatur pro alio. Ioann.6. 14. *Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum*: ideſt, qui venturus erat, Geneſ. 2. 9. *Produxit* (pro *Produxerat*) *Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum*: cap. 21. 1. *Viſitavit Dominus Saram*; pro *Viſitaverat.* Exod. 4. 19. *Dixit ergo Dominus* (pro *Dixerat*) *in Madian, Vade & revertere in Ægyptum.* Daniel.3. 49. *Angelus autem Domini deſcendit* (deſcenderat) *cum Azaria, & excuſſit* (pro excuſſerat) *flammam ignis.* Idem Matth. 28. 2. *Angelus Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem; & ſedebat ſuper eum.* Ubi præteritum perfectum pro pluſquàm perfecto. Non ſecùs in conciliationem viciſsim quoad ſpeciem adverſantium teſtimoniorum. Sexto die ante Paſcha effuſione nardi piſtici, amor claruit Magdalenæ. Fremuit Iudas, & non alia de cauſa, niſi quia *cùm Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi,* aceſſerat *mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, &* effuderat *ſuper caput ipſius recumbentis*: tuncque biduò ante Phaſcha, quatriduò poſt factam unctionem, acceſsit Iudas ad Principes Sacerdotum, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Grande nefas: inter diſcipulos nimis perſidioſa improbitas: at ut ſuccinit Iuvenc.d.v. 438.

Enallage. *Temous præſens pro præterito im perfecto. Perfectũ pro pluſquã perfecto.*

Ex illis unus ſcelerato corde volutat.

Iuvenc.

59 Nihil iam reſtat, niſi Verſiones principis Tautologiæ. *Confundantur confuſione.* Hebr. Foreriuſque: *Pudefient pudefieri.* Syr. *Suffundentur pudore.* Sanctius: *Suffuſi rubore.* Maluend. *Pudefient pudefieri.* Alij. *Pudore, reverentia, confuſione, & verecundia.* Quàm conſona cuncta, vidimus in Litteta. Modò aliquid inſeramus ad mores; ne dum præſentes ſuperni iudicis tribunali, propter cordium pravitatem confundamur confuſione.

Verſiones

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excurſ.

1. C*Onfundantur confuſione.* Confuſio ex pœna peccati & crimine. Ars amoris Chriſti eſt, ut peccatores eius obſequijs convertantur ad cor: igitur ut illi confunderentur crimine; non eſt confuſus in pœna peccati.

2. *Confuſione confundantur.* Ubi ambitionis pernicioſus amor, nequaquan in fronte pudor. Sæpe ex honore volatili, ludo fortunæ & phantaſiæ, confunduntur ab expectatione: cæterùm confuſione non ſunt confuſi; quippequàm ubi à votis plus deviant, avidiùs fatuè dignitatibus aſpirant.

3. *Confundantur confuſione.* Numquam viſa in ſuſurronum facie: etenim iactabundi felices habent pro gloria, quod à cunctis repellitur uti probroſa ignominia.

4. *Confundantur confuſione.* Hypocritæ confuſione non confuſi. Erubeſcere neſcierunt, vel dum in ſtrophis comprehenduntur: equidem virtutis apparentis vanitatem, oſtentant illudentes & illuſi pretioſiſsimam virtutem.

5. *Confundantur confuſione.* Virtute Martyrum tyranni confuſione confuſi, victi à victis: quorum tanta virtus in tormentis, pro gloria Chriſti; ut minimè confundantur confuſione.

6. *Confundantur confuſione.* Ingratitudo confuſio rationalium, ſed amori lenocinium. Eluxit in pectore Salvatoris, flagrantis amore, invento ad redamationem hominum lapideo pectore: quandoquidem & illi non confuſi confuſione iniquitatis; nec Chriſtus confuſus confuſione ingratitudinis.

DIDASCALIA PRIMA.

Chriſti flagella, in converſionem animarum vulnera.

1. UT impiorum compeſceretur audacia, comes criminis ingeritur ignominia: verùm cùm abſcedat pudor, ubi dedecoris fugit dolor; ſine fronte perpetratur peccatum, quippe etiam propudioſis erubeſcere neſcierunt. Gloriantur in-

in malefactis, illuſtrantur probris: & cùm exoriatur infamis omninò gloria, unde debebant propudia; inverecundi procaces commiſſo ſcelere, confuſione peccati non ſunt confuſi.

Manil.

Crimen ubique frequens, & laudi noxia iuncta eſt.

Ut accinit Manil. 4. *Aſtronom.* cap. 1. v. 418.

Iſai. 42. 17.

Servit pœnitentiæ dolor ex confuſione peccati.

Converſi ſunt retrorſum: confundantur confuſione: dicit noſtra Tautologia. Unde converſio cordium, dum pridem præcipites in flagitium? Quoniam iam frontis pudor, quod cogitabatur decor: propter criminis turpitudinem, operuit confuſio faciē: converſique ſunt retrorſum, ſecum librantes animarum præcipitium; quippequàm nil efficacius in converſionem animæ, & lauream reſipiſcentiæ, quàm dolor elicitus ex confuſione peccati. Supra dorſum Domini innumeris flagellis, fabricaverunt diriſsimè peccatores: at minimè prolongaverunt iniquitatem ſuam, in illo cogitantes corde criminum pœnam. Ut confuſi, ſunt converſi: etenim cùm Chriſti ſint doloroſa flagella in converſionen animarum vulnera; dolore immerito vulnerum, converſi ſunt ex confuſione retrorsùm. Non pro ſe verbera ſuſtinet; ſed pro illis, quorum cauſa non dolet: haud dolet, quoniam cruciamen perpetitur; ſed pro illis à quibus flagella patitur. Amoris eius fuit ars, ut reſipiſcentes converterentur ad cor, conſiderantes in pœna, cordis flagrantis ſtudia: equidem ſi frontis confuſio ex pœna peccati & crimine; ut delinquentes confunderentur crimine & tot flagellis non eſt confuſus de pœna peccati.

Fit peccatorum converſio, Chriſto flagellato.

Paratus en ad verbera
Morſu doloris aſpero.

Crucius

2 Servus flagellatus ſi occurreret, infauſtum ad pompam apud Ethnicas erat; ut refert Cicero, 1. de *Divinitat.* & Alexand. Neapol. lib. 6. cap. 19. ex illo articulo Iovis querentis de præſultore, ſervo flagellato ante pompam ludorum: de quo Tit. Liv. *lib.* 2. *Sect.* 111. & Plutharch. in *Coriolan.* Quod ominoſum Ethicis, feliciſsimum Chriſticolis: igitur apparuit ab hominibus flagellatus, qui voluit pro hominibus eſſe ſervus, oſtendens amoris pectoris flammam, in triumphi pompam; quia ita oportuit pati & intrare in gloriam ſuam: ut etiam per propria vulnera ſanaret vulnera noſtra, ac per verberum dolorem, noſtram ad verbera deſtinatam excuteret ſervitutem. Souſa de *Chriſti paſsion.* v. 629.

Cur flagellis ſubditur?

Mell. Souſ.

Veſtibus exuitur, undus vinctuſque columnæ
Cæditur, heu! duris percuſſum verbera loris
Sæva tulit corpus,

Columnam dicit: Anſelmus in Dialog. de *Paſsio Domin.* ſtatuam fuiſſe refert. *Pilatus* (inquit) *Ieſum flagellari fecit in ſtatua: & in momento temporis, totalis corporis eius ſuperficies ita ſanguine ſuperfundebatur; ac ſi purpurà circundatus, & in ſtuporem & deformitatem transformatus.* Adamas eſt homo, dura profectò conditio: haud aptus reddi rationali formæ; niſi ſanguine agni. Hinc epigraphe *Cruore diſſolvitur*: apud Picinell. lib. 2. *Mundi Symb.* n. 27. Deficiebat humanæ conditioni, quòd perfunderetur ſanguine. Unde Agni immaculati effuſio penes ſtatuam; recepit ab Auctore formam & vitam.

Anſelm. *Cur ligatur humana ſtatua?*

Picinel.

3 Sic pulchrè formata eſt *ad imaginem & ſimilitudinem* Conditioris. Tertullian. *Adverſas Praxeam*, cap. 12. infit: *Ad imaginem Filij ſcilicèt, qui homo futurus, imaginem ſuam fecerat dici hominem.* Obliterata eſt in imagine ſimilitudo primo piaculo, & manſit ſtatua ut marmorea ſine motu. Totum propoſitum Conditori, amiſſam ſimilitudinem imagini deformatæ reſtitui: *Prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Uti ſtatua ad illum venire non valuit; unde neceſſe, quòd ad illam ille de cœlo veniret. Dura pertinaxque, adamanti ſimilis, immota manebat, ad formam nec ſpecimen monſtrabat. Amplexus eſt, ſed adhuc pugnax & pertinax cor. Opus eſt ſanguine, ut cedat labori: limum molleſcere congruit, converſum in lapidem, ut recipiat iterùm ſimilitudinem. Iam ſtatua movetur, ne ſit ſtatua; infunditur nova forma: videturque ab Auctore mirè conformis imaginis Filij ſui; quoniam per flagellorum inſtillatum cruorem, amiſſæ crimine formæ recepit conformitatem. Diſſolvi neceſſe erat; ut officio gratiæ ſtuderet converſioni. Quin cor molleſceret, converti non poſſet: & iam non ſtatua, ſed imago ad imaginem converſa; quippequàm per agni ſanguinem, redijt ad ſimilitudinem. Convertitur anima, dum illam criminis pudet, & corde pœnitet, ut poſsit per Conditoris gratiam, in ſimilitudinem obtinere novam formam: & cùm Chriſti flagella cordium dolentium ſint vulnera; per effuſum ad ſtatuam ſanguinem, flagellatus obtinuit animarum converſionem.

Geneſ. 1. 26.

Tertul.

Roman. 8. 29.

Homini cū Deitate ſimilitudo redditur, quando uſque in ſanguinis effuſione flagellatur.

4 Roſam priùs fulſiſſe candore, finxerunt Ethnici: *Cùm opem Adonidi Venus ferre properaret pede à ſpina roſæ vulnerato, purpureum colorem roſæ, cùm priùs eſſet candida, datum fuiſſe, fabulantur*: ait Natal. Comes, lib. 5. *Mythol.* c. 16. Converſio fit, ſed altiori modo; ut roſis purpureo colore maculatis reſtituatur albedo: equidem ſi ſanguine candor converſus in muricem; ſanguine color purpureus converſus eſt in candorem. Utraque mutatio in mundo viſa; ubi lapſa & erecta natura. Candida nitore gratiæ creata fuit, quaſi plantatio roſæ in Iericho. Pupugit ſpina ſupplantionis in crimen, & nobilis candor converſus eſt in ruborem. Innocentiæ evanuit decus, atque candore cognoverunt ſe eſſe nudos. Ni reſtitueretur candor, ſemper adhæſurus pudor; quoniam admiſſa noxà.

Nat. Com. *Mutatio coloris roſæ.*

Bugnot. Eleg. 7. v. 55.

Purpureo è ſpinis crevit roſa murice tincta.
Scire ſi cupis roſei flos exeat unde pudoris.

Miſera hominis conditio, quia ſine priſco candore erat deformata imago. Color ſanguinis ſanguine mutandus, ut animæ converſione rediret decus. Veniet? Profectò redibit, ubi ad ſtatuam ligatus candor lucis æternæ, vapulavit. Hinc dicit: *Quæ utilitas in ſanguine meo?* Quænam? Ut imagini pollutæ reſtituatur pulchritudo: igitur mirifico, cœleſti, ſacro cruore, roſa purpurea refloruit priſtino candore gratiæ. Ita reddita colore ſpecioſo forma: ita

Et cādor gratiæ reſtituitur hominū homini.

Pſal. 29. 10.

Idem.

Sola roſas potuit gignere læſa culpa.

5 Iam in natura humana felicitas animarum ex præſtantiore colore; per Evangelicum Vatem promiſſo à Numine. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum* (Tertullian. 4. Adverſus Marcion. cap. 10. *Si fuerint ut roſeum*) *quaſi nix alba erum.* Ideſt ſi præ pudore criminis facies veſtræ inſtar roſarum rubentes; colore priſtino amiſſo, inerit nivis albedo. Mirum ſanè. Verum Unde? Chriſti ſanguine. *Divino ſanguine decorabimini*: ait Chriſtoſt. Homil. ad *Baptizand.* Ex ſanguine color profectò purpureus, minimè candidus. Quomodò è ſanguine candor, ſi ruber color? Chriſtus effudit pro roſis hominibus ſanguinem, ut criminum dolens propulſaret ruborem. Primiparentes candore gratiæ nudi in paradiſo adſtabant; ac ſine culpæ colore nequaquàm erubeſcebant. Roſæ florebant ſicut lilium, ſummi candoris ſpeculum. Color rutilabat albus, ſuggeſtione diræ ſpinæ mutatus eſt color optimus: & quæ colore roſarum corpora deflorebant coccinea, iam florent alba; quippequàm ſanguine Chriſti reſtituto colore, ex fœditate nigredinis mirè tranſierunt in pulchrum candorem nivis. Color purpuræ ſeu roſæ dicitur virus; quo candor animarum omninò à ſerpente læſus: per Chriſti ſacrum cruorem, reſtituendæ in priſtinam pulchritudinem: & qui color crimine evanuit, ſpecioſè modò floret; quoniam in mutationem candoris roſarum purpura purpuræ expulit totum venenum. Per averſionen natura humana mutavit ſpeciem. Amor Chriſti intendebat in converſionem; ſine qua maneret denigrata facies, quæ nitore gratiæ effulſerat inſtar nivis. Sanguine opus eſt, ut pro purpura in roſa refloreat nix: Chriſtuſque diris flagellis exponitur, ut color roſarum in albedinem mutetur. Mirabilia næ videnda, ſanguinis fuſi efficacia, albedine reſtituta: candidumque, pulchrum, album præ ſe fertur, quod priùs maculis coccineum; quia ſanguis obtinuit Chriſti converſionem animarum. Quaſi nix hoccine cruore dicuntur alba, quæ pridem purpurea. Succus purpuræ ſeu cocci ſi ſemel lanam tetigerit, elui naturaliter non valet. In ſempiternum polluit, quod ſemel tinxerit. Nonnunſquàm fœdat, quod ſemel maculat. Videnda ſanguine Chriſti altiora; quia mirabilia: & quod crimine in animabus coccinnum, adinſtar nivis exponitur album; quippe ut probetur animarum converſio, & roſarum coloris mira mutatio, ex purpura peccatorum nequæ maculæ veſtigium.

Iſai. 1. 29.

Tertul.

Chryſ.

Et venenum culpæ expulſum.

Ita ut nec veſtigium criminis.

6 Roſæ dicuntur à medicis maculæ in facie coloris purpurei; quæ delentur tinctæ ſanguine. Hoc quod videtur in maculis corporis, in animabus miramur fuſi medicina ſanguinis: igitur macularum purpuream fœditatem, quæ affert ruborem; per converſionem, in gratiæ transfert albedinem. Hinc ſponſa vocat Sponſum dilectum, *Rubicundum & candidum*: equidem eius purpura ſanguinis reddit miraculosè amiſſum candorem roſis; quæ imbiberant coccinum, ex maculoſa fœditate criminis,

Cantic. 5. 10.

Pulcher ſanguineus, candidus atque rubens,
—— Membra cruore lavans.

Venant. de Part. Virg. v. 67.

Hic ſcitur, *quare rubrum eſt veſtimentum eius*, ubi abillo ſpecioſior deſignatur ornatus. Purpura ſanginem Salvatoris indicit: & ſanguine fuſo decus in habitu valdè ſpecioſum oſtendit; quoniam nullam maioris reputat pulchritudinem, quàm proprio ſanguine reddere roſis candorem. Roſa erat in ſimilitudinim hominum factus, eius colore ad ſpeciem amictus; quippe ex Adami radice, in ſimilitudinem carnis peccati. Colorem ſpinoſæ roſæ accepit: & accipiendo, roſæ colorem mutavit; quoniam per acceptum in carne ab Adamo ſanguinem, roſæ in qua ſanguinis color roſcum mutavit colorem. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Ut vidimus, dicunt ei. Quid ille? *Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper*

Iſai. 63. 2.

Converſio animarum, pulchrius Redemptoris indumentū.

Verſ. 3.

Tertul.

per veſtimenta mea , & omnia indumenta mea inquinavi. Veſtitus animæ caro eſt : inquit Tertull. in *Scorpiac.* cap. 12. Caro roſa fuit in paradiſo candida , quouſque rubricavit purpura. Chriſtus purpuream accepit , unde carnis indumentum coinquinavit : quia licèt non eſſet error , erat tamen purpuræ color , ut per colorem purpuræ candorem rederet roſæ.

Cur eius veſtis colore ſanguinis?

Sine ſanguine eius , perſeveraret in natura purpuræ macula , quia indelebili ſucco ſemel imbuta. Colore purpuræ , purpuræ abſtergendus color , ut in illa mirè ſplendeſceret candor; & quamvis veſtimentum candidum & rubicundum, rubrum induit veſtimentum; quoniam per purpureum ſacrum ſanguinem, colore roſæ mutavit in candorem quaſi nivem.

Apoc.7 13.

7 Scrutemur prodigium. *Hi , qui amicti ſunt Stolis albis , qui ſunt & unde venerunt ?* Albis ex purpureis ſtolis donati fuerunt, ut aſſerit Petr. Fab. in *Agoniſtic.* lib. 2. cap.12.

Petr. Fabr.

Coccineæ ſtolæ & iam albæ? Unde ? Reſpondet,qui interrogavit. *Iſti ſunt, qui venerunt ex tribulatione magna , & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*

Ver.14.

Alapid.

Efficacia pœnitentiæ.

Tribulatio magna , iuxta Alapid. hìc , eſt criminum pœnitentia , à qua negatur peccatoris perſona, quæ alia à ſe, ſi gratiæ lux : & cùm ipſi ipſi non ſint ; mirum quòd iſti dicerentur *Iſti*, qui iam gratioſi ex candore pœnitentiæ. *Tribulatio magna* (inquit Alcazar) *eſt captivitas peccati , & ulceroſæ conſcientiæ infelicitas, ex qua evadunt.*

Alcaz.

Dum prætermittitur frequens miraculum pœnitentiæ ; exponitur in exemplum ſummitas divinæ gratiæ : per pœnitentiam diſponitur, ut candore illuminentur , & per pœnitentiæ gloriam , peccatores confugiant ad pœnitentiam : igitur hi peccati captivitate colore deformes ; in throno Dei apparent veſtibus albis.

Delet maculas quas inuſſit iniquitas.

Purpureæ, uti coccinum , pridem erant ſtollæ : & quæ cocco bis tinctæ, rutilant albæ ; quoniam ſi ex crimine macula , quàm delevit pœnitentia : ex reſipiſcentia cordium , in candorem mutarunt colorem criminum : ita induentes gratia datà veſtimenta; ut nec videretur macula.

Ibid.

8 Alba itaque ſunt , ſed mirabilius, quo ſint. *Laverunt ſtolas ſuas , & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Ex tinctura ſanguinis minimè reſultat candor , ſed inquinamenti formidabilis horror. Unde igitur ſpectabilis albedo , ut ex ſanguine reſultet ſingularis pulchritudo ? Haud ex ſanguine utcumquè , ſed ex ſanguine Chriſti , quo floribus , qui amiſerunt , reſtituendus color ; & innocentiæ candoris ſplendor : & qui veſtiti ex tranſgreſsione purpureis , in throno Dei coruſcant veſtibus albis ; quippe ſanguine colorem vertit roſarum , in albedinem liliorum:

Chriſti cruore animabus reſtitutus cãdor gratiæ.

Sanguis eius neceſſarius , ut hominibus roſis cum gratia rediret honos. Sumpſit purpuræ ſpeciem, ut purpuræ abſtergeret labem : unde ex ſanguine Agni , albę videntur ſtolæ ; quoniam per effuſum ſanguinem roſis reſtituit albedinem. Macula cocci crimen eſt , ſtolarum verò candor ex gratia divina fit : ex converſione animarum , ſanguinis Agnus demonſtraturus effectum. Delebit crimen & convertit colorem : ſtolęque albæ videntur, dum animæ convertuntur; quippe candore ut ſignaret ſpecioſam , per ſanguinem fuſum, maculatæ naturæ, reſtituit gratiam.

9 Aliter Tertullianus , ex cuius ſententia noſtræ Didaſcaliæ ſcopus. *Veſtitus animæ caro eſt.* Scrutemur , unde purpura apparet ut nix. *Iſti ſunt ex tribulatione magna.* Quænam eiuſmodi tribulatio , ut ex captivitate peccati , & conſcientià ulceroſa tanta reſultet albedo? *Ex pœnitentia , ex gemitu & compunctione*: dicit Alapide : Vident Agnum, crudeli flagello ſubditum , & effundentem ex venis ſacrum cruorem ; ut hominum lavet crimen : peccato ſanguine loto , reſultat animæ albedo.

Alapid.

Unde converſio viſo Chriſto flagellato?

Diſciplina purpuræ immutat colorem , pœnitentes effundunt flagellis ſanguinem : veſtimentaque ſimul ſplendent candida , quia ſanguine proprio decoravit pœnitentia. Vident in columna Agnum innocentem , tot flagellis luentem alienam iniquitatem. Crimen hominis improbi eſt flagrum Agni ; quo evacuatur cruore. Videt, gemit , dolet: apprehendit diſciplinam , ut demonſtret pœnitentiam : daturque in candorem gratia, effuſa ſanguinis purpurà ; quippe gemit ictum cor (ob commiſſum grave crimen) Agnum Dei è venis fudiſſe ſanguinem. Vident in Agno vehementis amoris ſigna , alta tergoribus verbera ; pœnitentes piget, cauſæ pœnitet : ſanguinem effundunt pro effuſo ſanguine : gratiæque potiuntur ſingulari candore ; quoniam puncti compunguntur , flebilem aſpicientes ſcenam ; commiſsis criminibus , flagellorum fuiſſe cauſam.

Animarum claritas , ſi flagellatur iniquitas.

Hinc patet , quomodò in conſpectu Deitatis , ſint in veſtibus albis ex purpureis. Veſtis animæ caro eſt, quæ tincta proprio cruore, ex peccati pœnitudine; & quia cœleſtem Agnum impulit crimen , ut effunderet cruorem ; cuius conſideratione ab anima pœnitenti puncta & mœſta , arripitur in verbera diſciplina : ex purpureaque veſte nitent candore ; quippe animæ converſæ albedo provenit nivis , ex roſea purpurà corporis.

10 Liquet *qui ſunt* iſti *& unde venerunt.* Venerunt ſanè ex magna tribulatione,venientes è peccati captivitate : habentque iam ex tribulatione quietem ; quippe nacti in diſciplina ex crimine converſionem , atque è dira ſervitute libertatem. Qui ſervitutem exuebat , candidà incedebat veſte , è templo Feroniæ. Candor veſtis erat ſignum : hique album induunt veſtimentum ; ut ex animæ candore virtus cognoſcatur pœnitentis diſciplinæ :

Verberũ diſciplinà purificatur anima.

igitur iugum excuſſere peccatricis ſervitutis , ſanguine effuſo mortificatione carnis. Iſti ſunt. Prodigium eſt : verùm amplius , unde ſint; ut conſtet per virtutem pœnitentiæ , quò pervenerunt & unde : ſiquidem mirum, ſanguine effuſo propter ſanguinem Agni; quòd ex ſervitute criminis , in conſpectu Dei fulgerent veſtibus albis.

Plin.

Mutantur arbores & colore , fiuntque è nigris candidæ : inquit Plin. *lib.* 17. *cap.* 25. ex Theophraſt. 2. de *Hiſtor. plant.* cap. 3. Iam videmus ad exemplum Salvatoris homines , quaſi arbores ambulantes : etenim dum caſtigatur error, mutatur color. Fiunt albi ex nigris ; per efficaciam diſciplinæ Metamorphoſis : per effuſum enim ſanguinem mutato colore adipiſcuntur albedinem ; quippequàm obtinuerunt animarum converſionem. Opportunè Venant. Fortunat. in *Hort. regio*, v. 1.

Hic ver purpureũ viridãtia gramina gignit,
Et paradiſiacas ſpargit odore roſas.
Pinxeruntque locum variato gramine flores:
Pomaque veſtivit candor & inde pudor.
Regis honore novis duplicata eſt gratia pomis:
Pomaque veſtivit rubor & inde candor.
Qualiter ille hominum potuit prodeſſe ſaluti;
Ut de Rege pio ſit memor omnis homo.

Venant.

11 Arbores olim , finxerunt Ægyptij (ut vidimus *Tom.*1. *T.* 5. *D.* 11. *n.* 2.) damnatas fuiſſe perpetuæ ſterilitati : at effuſo vero ſanguine , quod remedium auxiliare; revixiſſe , germinaſſe , floruiſſe.

Sanguine revivit, viget & floret.

En virtus ſanguinis Agni , ac remedium auxiliare voluntariæ diſciplinæ : equidem anima iam converſa & participata gratià ; pœnitentià vitam recuperat , gemitu germinat, & compunctione floreſcit ; quippe colorem , quæ ſterilis cum conditione mutavit , dum in horto diſciplinæ , fecit fructus pœnitentiæ,

Pſ. 37 18.

Ego in flagella paratus ſum : & dolor meus in conſpectu meo ſemper. O amoris pretioſiſsimi flamma ! Tot ſuſtinuit pro nobis, & paratus in flagella ? Creſcit incendium: plus pateretur , ſi plus eſſet neceſſarium; quin recordetur vindictæ criminis , ex peccatorum flagellis.

Parcitur ſi à ſe punitur.

Multa flagella peccatoris : at dum peccat , Dominum miſericordia circundat : ſiquidem ut vindex indulgeat crimen , in conſpectu habet interceſſorem dolorem. *Dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Unde dolor verberis , ſi non exiſtit in mortalitate carnis? Dolet de non dolore : dolet , quia non dolent pro quibus doluit. Haud dolet flagella , ſed dura corda : non ſentit acerbitatem verberum , ſed lapideam inſenſibilitatem cordium ; quæ ſic pro illis flagellatum vident , cæterùm minimè dolent.

Souſa. d

Quæ manus immeritum potuit violare flagellis?

Dolorem conſiderantium , ſed non dolentium : igitur pro ſe vident ſuſcepta flagella : & ſine dolore adſtant tanquàm lapis & ſtatua. Dolores plagarum habet in tergore ſaucio : dolorem de non dolore , in conſpectu.

Lapis eſt cuius ad Chriſti flagellationem nec compungitur cor.

Non dolet de verberum dolore , quæ ſenſit : dolet quod videt : igitur ſi effundit pro crimine ſanguinem ; ut cauſam flagrorum homines dolerent crimen ; compuncti gemerent & pœnitentiam agerent; dum tot cruciamina pro illis exantlata meditantur, nec pœnitudine, nec gemitu compunguntur. Corda pluſquàm ſaxa rigent; vident quaſi non viderent : equidem habentes in flagella tot peccata ; ad animæ converſionem , vivunt ſine diſciplina ; doloque Salvatoris flagellati renovatur , ſemperque in conſpectu habetur ; etenim viſa adhuc in ſcapulis innocentis pœna peccati ; nec dolentes , neque moti , nec compuncti;quia nullus eſt, qui recogitet corde.

12 De ſaucio Lophe , ait Pauſanias cap. 308. *Ubicumque verò humi fuſus eſt cruor ; inde aquas de terra erupiſſe , ex fontibuſque flumen.*

Pauſan.

Dolor patet in conſpectu flagellati Redemptoris , dum præ cordium duritia in huiuſmodi effectum inefficax eius ſanguis : igitur ex vibicibus ſcorpionum ſanguis manat , cordium terram irrigant ; manentque ſicci videntium oculi,cordibus intinctis Salvatoris ſanguine.

Cur nulla compunctio ex huiuſmodi lamentabili ſpectaculo?

Cùm frugi non convertantur , non moventur, prævalente ingratitudine , luminum ariditate ; ubi compunctione cordium , converti ius eſt in fontes , eis queis flumen lachrymarum. Quid mirum? Ubi non eſt dolor, non eſt fletus : hic per lachrymas ſignatur, ut interioris hominis demonſtretur affectus : arenteſque videntium ſine ulla compaſsione demonſtrat oculi ; de Chriſti doloribus corda nequaquàm dolere. Ex vulnere lateris conſtat quid conveniat oculis. *Unus militum* , cùm eſſet iam cadaver in cruce ; *lanceà latus eius aperuit , & continuò exivit ſanguis & aqua.* Utrumque ſi-

Ioan.19 34.

Chriſtus flagellatus non ſine lachrymis videndus.

mul in hominum documentum. Latus quia thronus cordis, eſt amoris ſolium: aquaque & ſanguis emanat ex vulnere, quia cor ictum ex Salvatoris dolore, videns pro ſe effuſum ſanguinem; debet oculos mutare in lachrymarum amariſsimum flumen. Ex latere profluit ſanguinis copia: ex latere ut fluxit, refluat in oculos unda: aqua non ſeparatur à ſanguine, ut doleat cor de dolore: igitur minimè eſt amor, ſi de innocentis doloribus in anima non eſt dolor, cùm debeat ex vulnere compaſsionis in dolentem, non ſolùm flere, ſed plorare ſanguinem. *Amore amoris tui facio*: ait Auguſt. 2. *Confeſſ.* cap. 1. amore debemus facere, & etiam ut reſpondeamus amori. Ille qui dilexit, ſanguinem pro nobis fudit: ſanguiſque cum aqua vulnere cordis manavit; quoniam etſi non ploremus propter innocentis ſanguinem, ſaltem plorare debemus propter amoris amorem.

August.

Quàm proſit puritati hominis per flagra mortificatio carnis.

13 Pius III. in ſymbolum pinxit flagellum & palmam; lemma: *Perinde.* Ex palma corona fit: perinde eſt: igitur ſi homo applicat pro diſciplina flagellum; fauſtè procedit in triumphum. Per militis vulnera exit ſanguis: palmaque iungitur meditanter flagellis; quoniam dum ſanguis effunditur, vulneratus coronatur. Ictus flagelli non interficit: mortificat: nec mortificat quidem, ſi ſaucius ſaucium Salvatorem cogitat: iunguntur que flagella & ſimul palma; ut ex flagellis acceptis deſideretur victoria: etenim adipiſcitur ſanguine palmam triumphalem, per levem ex flagris carnis mortificationem. Adi dicta de flagello *Tom.* 1. *T.* 5. *D.* 18. *à n.* 9. Aliud ſymbolum exhibuit Octav. Strad. *Tom.* 1. *Symbol.* 8. in quo pingitur ſtella cum flagro; epigrapheque: *Non ſine cauſa.* Planè cauſa, ſi ſunt crimima. Planè cauſa, ſi elevatis oculis videtur ſtella. Hæc ſignat felicitatem, flagrum dolorem: nec ſine cauſa, flagrum ſumitur, ubi diſciplina ſuſcipitur; quoniam ſanguine pœnitenti apertum cœlum, & eius peccatum prætermittitur inultum.

Oct. Str.

Exod. 12. 5.

14 Ad Phaſe ſolemnitatem iuxta Domini legem, per Moyſen indicitur Iſraël: *Tollat unuſquiſque agnum: erit agnus abſque macula: iuxta quem ritum tolletis & hœdum.* Agni ſine macula ſanguis deſerviebat ut illo tingerentur habitaculi poſtes, & vindex Angelus, viſo ſanguine, tranſiret, quin gladio minaci noceret. Si ſanguis agni ſine macula ſufficit libertati, cur igitur etiam effunditur ſanguis hœdi? Omnia in figura contingebant illis, tamquàm ſignum præſentis compunctionis, iram Dei placantis motam, per aſſumptam diſciplinam. Agnus Chriſtum Dominum figurabat innocentem: hœdus verò hominem peccatorem; in quem propter crimina ac ſcelera, gladium educit iuſtitia: peccatorque ſanguine fuſo liberatur à morte; quia illum effudit ad imitationem agni. Provocat enim peccatorem in pœnitentiam ſanguis innocentis effuſus; ut dolore criminis percutiat ictibus pectus, & maculam eluat: equidem compuncta conſcientia dictat; quòd deleat ſanguine ſcelera, dum ſanguinem agnus fudit, quamvis eſſet ſine macula. Utriuſque ſanguis iungitur, ubi crimen exponitur, ut omninò deleatur; & conſtet unde merita, quibus indulta peccata: igitur hœdi ſanguis in remiſsionem criminis nullius momenti; ſine ſanguine agni: quo viſo tranſit ſine leſione iuſtitia, quaſi non eſſent in pœnitente peccata; quoniam per ſanguinem Agni immaculati, qui peccatores, liberantur à morte. Sumitur in ſanguinem nec ſine cauſa flagellum, quin hœdi ſanguinis in poſtibus clareat ſignum. Si hœdus crimen notat, cauſam pœnitentia ſignat: etenim ſanguine, quo ſumitur diſciplina, peccati nec fit memoria. Hoc datum ſignum ſanguinis, tranſituris in terram promiſsionis; ideſt in cœleſtem patriam. Iccircò flagello iungit ſymbolum ſtellam, ut cognoſcant peccatores quanti ſtimabilis ex diſciplina pretij, ſanguis effuſus propter ſanguinem agni: quandoquidem uti ſtellæ fulgent in cœlo; qui propter pœnam criminum digni flagro. Libertas datur per pretioſum Agni ſanguinem.

Eius remittitur peccata, qui diſciplina ſanguinis ſequitur Chriſtum.

Thoracum validos pulſant ſuſpiria nexus!
Vapulat, heu! tantùmne ſequi probibemur amorem?

Claud. 5 Rufin. v. 160.

DIDASCALIA II.

Ambitionis grave telum, ſemper vivere in futurum.

Plutarc. Fortuna Parva, Brevis, Primogenia Virgo, & Mala.

1 FErè œſtro amplioris auctoritatis perciti (vel reſpectu meritorum in fundo inſperatà magnitudine) Fortunam celſiorem arbitrantur, Servi Tullij adinſtar, Parvam; anhelantes totis viribus ad Fortunam Primogeniam. Adi Plutarch. 73. *Roman. qq.* Ambitioſo enim eſtò ſtaturæ ſuperioris, ſemper videtur maieſtate *Brevis.* Romani illam adorarunt *Virginem*: hic quærit gravidam vel per morum corruptionem: etenim modò per rimulas etiam, exploretur felicitas; ſpernit, quòd ducat nefas. Nonnumquàm furor,

Noſter in omnes ambitioſus amor.

Ovid.

Ut accinit Ovid. 2. *Amor.* Eleg. 4. v. ult. *Romæ* (aſſerit Cicero, 3. de *Natur. Deor.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. Minut. Felix in *Octavio*, & Alexand. Neapol. *lib.* 1. *cap.* 13.) *Febri, Pavori, Malæque Fortunæ ara dicata in Palatio.* Utquid cum Fortuna Pavor? Ut eluceſcat ambitionis timor: etenim cùm ſit multivola; pavet ambitioſi pectus, quòd quæ adoratur Fortuna, ſit Fortuna, verùm mala: cuius floridus cum cuſpide thyrſus, aſtu procedat in vulnus: & tollens technis in altum, ſurgentem vafrè impellat in præcipitium: quippequàm ſiccine elevati ruptis cervicibus alliduntur; deiecti in terram, dum altiùs elevarentur.

Cicer.

Febris & Pavor adorata cum Fortuna.

—Namque erexiſſe videtur.
Ut caſu rueret maiore elapſus ab alto.

Crucus, in Pſalm 101.

Quæ videntur excelſa, ſunt præcipitia.

Quæ videntur excelſa, ſunt prærupta. *Ne invideamus altiùs ſtantibus* (inquit Stoicus Cordubenſ. de *Tranquill.* cap. 10.) *Omnia levia ſunt, extrinſecùs diverſas facies habentia, introrſùm pariter vana*: ambitioſuſque vel præſente Fortunà fovet Pavorem; quippe Fortunam ut levem formidat, vertere faciem: pavetque ad telum, ſi averterit vultum. Unde qui beatus (ut modulatur Manilius lib. 4. *Aſtronom.* cap. 1. v. 127.)

Senec.

Creſcendo cadet, & votis in damna feretur.

Manil.

2 *Pavor & Fortuna*; quippe dolebit, qui inquietè quærit, & ad fortunam non pavet. *Pavor & Fortuna*, ſi ambitioſa corda: etenim conceptà ſpe timent telum; cogitando, quid futurum. Confunduntur homines plerumque ab expectatione: cæterùm *Confuſione non ſunt confuſi*; quoniam dum à votis plus, atque longiùs declinant, magis ambitioni anhelant. Nec dolor revocat à conceptis, reſpectu delectationis prurigitinis: equidem ita gloriantur perfrictà ex ludibrio facie; ut nec unquàm *confundantur confuſione*, ſed langueſcant ſitibundi, avidi laborum, & voluptate cruciaminum. Hinc cum Febre & Pavore *Fortuna mala*, & in Palatio ſita; quippe in Fortuna palatini aulicè Febrem colunt, quam præ moleſtia qui valent, ut valeant, fugiunt. Fortunam uti Febrem, ut explicarent quantum in ambitioſis cruciamen, intendentium in phreneſim honoris: igitur ridicula ac ſingularis phreneſis; quòd ſine iudicio Fortunam adorent, quàm cuncti uti Febrem pavent. *Fortuna & Febris.* Febri inſita continuò ſitis: & cum Febre collocatur in altari cordis, Fortuna ambitione mala; quippe ambitio ſitibunda. Micante aliquatenùs honore, quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Eſt ſitis è ardore febris, quæ ſæpe præ ſiccitate cerebri miſta furori: quandoquidem odorantes futuram culminis gloriam, delirant appetentes uſque ad inſaniam. *Proiecti ſunt ſicut oryx illaqueatus*: dicit Vates Evangelicus. De illo diximus, *Tom.* 4. *T.* 5. *D.* 4. *à n.* 15. & Raviſ. Textor. 7. *Officin.* cap. 27. *Orygem perpetuò ſitientem habet Africa: quod tamen animal liquorem habet in veſica, magnum contra ſitim remedium.* Pingitur ambitio, & eius non prævifa circumventio: igitur qui in illam proiecti, ſicut oryx iacent illaqueati; quippequàm ſæpe vel ſemper ſitiunt, habentes in ſitim potum. Haud appetunt in ſubſidium neceſſaria: aviditas ambitus ſemper tendit in ſuperflua: & ſitim ſitis excitat, vel dum de honoribus potat; quia aggerat febris putridæ ardorem, quo alij largè poſſent extinguere ſitim.

Ierem. 6. 15.

Inſtant fortunæ repulſa.

Iſai. 42. 17.

Ambitioſi pavidi, febri coleſti, phreneticè, & ſitibundi.

Iſai. 51. 20.

Raviſ.

3 In hos Bernard. invehitur: *O infinita ſemper ambitio & inſatiabilis avaritia! Cùm primos honorum gradus meruerint (meruerint vel vitæ merito, vel pecuniæ) non ideo corda quieſcunt* (ait de *Morib. Epiſcop. & Prælator.* cap. 7. n. 27.) *duplici iam æſtuant deſiderio; quo utique magis ac magis & dilatentur in plura; & ad celſiora ſublimentur:. & cum iſta non poſsint; vertunt ſe ad alíud ambiendi genus: in quo nihilominùs aperiunt eam, quàm habent dominandi libidinem.* Non quieſcunt, adhuc potantes ſitiunt: igitur cor febri exæſtuans, ubi ambitione percellitur, in nulla ſede moratur. *Qui in conſpectu Dei, ſedent in ſedibus ſuis.* Qui ambitioſi, & dignitatum helluones, nequaquàm ſic: non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum. Ut reſpicerent munerum gloriam, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram: illique ſedent in ſedibus ſuis (ut quietè ſedeant) ambitioſi verò vel in ſede non ſedent; quippe dumtaxàt ſedent, vt in ulteriora ſurgant. Aſcendere cupiunt, & ſedere ex officijs ad officia; ſed ſedendo creſcit ſitis in ampliora: nequaquàmque ſedent in ſedibus ſuis, dum vellicat œſtrum ex prurigine ambitionis; quia non aſcendunt in ſedes, ut ſedeant, & ſe non moveant; ſed ut ſedentes aſcendant: quandoquidem ab illis pro micante dignitate, movebuntur omnia fundamenta terræ: atque in votum honoris transferentur montes in cor maris.

Bernard.

Apocal. 11. 16.

Semper ſitiunt ulteriora.

—Num ſitis inter aquas.
In medijs ſitiebant dipſades undis.

Lucan. & Propert. 3. 5. v. 42.

4 Quouſque eadem & per funem? Non motus aliquando inveniet labore requiem. Audiatur Ethnicus, ut quieſcat, qui laboribus nec laſſus. *Excerpe itaque te in tranquillum portum* (infit Senec. de *Brevit. vit.* cap. 18.) *tandem iactatus recede. Cogita quot fluctus ſubieris, quot tempeſtates partim privatas ſuſtinueris, partim publicas in te converteris. Satis iam per laborioſa & inquieta documenta exhibita virtus eſt. Experire, quid in ocio faciat. Maior pars ætatis, certè melior, Reipublicæ data ſit: aliquid temporis tui ſume etiam tibi.* In ventum feruntur verba, dum auris ſurda; quandoquidem ventivoris chamæleontibus vitæ tempus, tempus ambitus, ſine ullo labore in graviſsimis laboribus. Percutiuntur intimè, nec dolent; quippe vulnera placent. Inter fictiones Aſtrologicas, etiam datur Domus Ambitionis, quæ *Gaudium Lunæ*: de qua Ioſeph Scaliger in 2. *Manil.* v. 27. ait: *Domus Ambitionis, ærumnarum & laborum; ſicut Decima, quæ M. C.* (ideſt *Magnum Culmem*) *mœſtitudinis & triſtitiæ extremæ: & ultima, Malus Dæmon.* Cuncta exhibebimus *Prolog. Galeat. Ephemerid.* §.4. n. 20. In cœlis dignitatum & honorum verſus ſupremum culmen, curarum & ærumnarum invenitur vexamem: quod quidem vel pectora premens cogitatur uti gaudium; quippe tendit in aſcenſum. Gaudium eſt, ut Lunæ curſus, cuius in viciſsitudines totus motus: etenim dum ambitioſos ſplendores movent; mutantur, & nunquàm in eodem ſtatu permanent. Perpropriè illorum agitata pectora ſignantur in Luna. *Multiformi hęc ambage torſit ingenia* (inquit Plinius *lib. 2. cap.9.*) *contemplantium & indignantium; creſcens ſemper, aut ſeneſcens: & modò curva in cornua, modò aquà portione diviſa, modò ſinuata in orbem, modò maculoſa, eademque ſubitò prænitens, immenſa orbe pleno, ac repentè nulla: alias pernox, aliàs ſera, & partem diei Solis lucem adiuvans; deficiens, & in defectu tamen conſpicua, quæ menſis exitu latet, cum laborare non creditur. Iam verò humilis, iam excelſa, & ne id quidem uno modò; ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, & nunc in Auſtros deiecta.* Theatrum ambientis labores, & honores vividè exponitur; quippe diverſis aſpectibus *ſtultus ſicut Luna mutatur*: fruſtratoque munere, permanente dolore, tendit iterùm in dignitatis occurrentis ambitum; quin cognoſcat, quod pridem impulerit Malus Dæmon.

Sunt in continuo metu, & cruciatu

Senec.

Ioſeph Scalig.

Luca ſpeculum cõditionis [illegible]borum.

Plin.

Eccl. 27. 12.

5 *Plena eſt ambitionis Eccleſia* (infit Bernard. 2. de *Conſiderat.* cap. 10. n. 13.) *Non eſt, quod exhorreat in ſtudijs & molitionibus ambitionis.* Cogitationem ſequitur Gillebertus, *Epiſt.* ad Rhogerum, à n. 1. *Hac in cauſa ferè omnium appoſita ſunt corda, ubi nihil aliud affectatur; niſi ut de cupidis improbos faciat, & tenuem tollat pudoris obicem, qui ſolus ambitioni obſtare videtur. Hæc eſt radix amaritudinis, quæ ſurſùm germinans impedit, & per illam inquinantur multi, & extirpari non poteſt. Quid ſi irrigetur? Inter manus vellentium pullulat rediviva plantatio. Plantatio hæc ubique eſt, ſicut myricæ in deſerto: & neſcio ſicubi lætius fruteſcit, quàm in terra ſitis & ſalſuginis. Vide iſtos, quorum pallent ora ieiunijs, qui elongant & manent in ſolitudine, qui adoperiuntur ſacco. Vide, ſi non in terra ſqualoris & ſolitudinis, ipſorum ubertim ambitionis radices increſcunt.* Hic eſt voluptatis hortus? Fertne vepres paradiſus? Latet anguis ſub herba, & à ſchola ſæculi introducitur deauratum lethale dogma. *Qui ſæcularem habitum deſerens, ad Eccleſiſtica officia venire feſtinat; mutare vult ſæculum, non relinquere*: ait Gregor. Magn. 2. *Epiſt.* 94. Seſe quò invenire poſſint, quærunt, & inveniri; ut ſint aliquid momenti: igitur fauſtè indipiſcuntur in clauſtro, quod non valerent in ſæculo. Feſtinant venire ad Eccleſiaſtica officia, propter commoda: ſæculumque non mutant, ſed ſtationem; *operibus adhuc ſervantes ſæculo fidem*: ait Glorioſus Parens N. Benedictus, *Regul. Sanct.* cap. 1. etenim quùm clarior in clauſtris honos, *à ſæculi actibus ſe facere alienos*; appetunt miris artibus & offucijs honores, & acrius quàm ſæculares. Lamentabile prorsùm impulſu dæmonum, ſpecie quærere præ ſtatu exinanitionem, ac corde & oculis ſemper intendere in culmen.

Bernard

Gilleb.

Ambitio repit vel in clauſtris.

Gregor. Magn.

S. Ben.

Ibid. c. 4

Intuitus receptis

6 Videamus, quo culmina fumant. An, quia ſi expedit.

Candida de nigris & de candentibus atra

faciunt? Virtutes pollutas dicant, & vitia decora plaudant? Parcitas putatur avaritia; iuſtitia, mera inſania: ſobrietas, auſteritas creditur; ſilentiumque, inurbana mœſtitudo reputatur. Dſciplinæ econtrà remiſsio, extollitur ut diſcretio; effuſsio, liberalitas loquacitas affabilitas; cachinatio hilaritas & iucunditas; faſtus, dignitatis honeſtas; ſuperfluus cultus, munditia; indulgentia diſſolutior, miſericordia; ira immoderata, iuſtitia; incautus timor, humilitas; effrenata ſuperbia libertas; tenacitas, parſimonia; dilapidatio, largitas; crudelitas, zelus; relaxatio, pietas; audacia, ſtrenuitas; temeritas, ſumma auctoritas; at deſpectus cunctorum magnanimitas. Pugnant in ambitum vota votis, atque conſilia conſilijs. *Adulatio, quàm ſimilis ſit amicitiæ? Non imitatur tantum illam* (ſubdit Senec. *Epiſt.* 45.) *ſed vincit, & præterit. Apertis & propitijs auribus recipitur; & in præcordia ima deſcendit; eò ipſo gratioſa, quò lædit. Venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia ſub virtutum nomine.* Unde Gregorius Magnus, in *Iob*, lib. 3. cap. 19. *Vitia* (inquit) *nomine virtutum illuſtrantur. Inſidiantia harum faciem ſumunt; ſed hoſtili invectione nos feriunt.* Idem, lib. 1. *Epiſt.* 24. Nider in *Formicar.* & Bernard. de *Morib. Religioſor.* cap. 7. n. 20. Ita peſsimus ad ſummos aſcendit honores: ſed (ut canit Bocch. *Symbol.* 124.) liber ab ambitus turpibus embolijs:

Ovidii Metam. Fab. 8.

At deformitatis virtutes & vitia mutant colores.

Seneca.

Vocatio oblita permutat nomina.

Quicumque diram perpeti poteſt famem,
Sitim, vigilias, frigora, æſtuſque fervidos,
Occulta odia, curas perennes, iurgia,
Lites, ſimultates, dolos, menaacia,
Fraudes, calumnias, venena, ulcera,
Pericla mille, mille in hora incommoda,
Ad hæc furores, æſtuantem gloriæ
Cupidinem, inſolentium arrogantiam,
Licentiamque divitum, & impudentiam,
Et gratiam ingratiſsimam Principum
Infidam, inanes ſpes, metus mutabiles,
Fortunæ iniquæ in omnibus rebus vices.

Quid ab ambitu liber?

Achil. Boch.

7 Si ambitioſo ineſſet ingenuitas, & ut decet, ſediſſet in corde; minimè vafrè intenderet in cunctis ſimulare, & ſimul diſſimulare. Carpat Bernardus, ne feratur ægrè ſtimulus: equidem qui intimè ulceribus laceratus, quolibet levi motu arbitratur tangi vulnus; ut notat Hieronym. & *Epiſt.* 100. & in *Ruffin.* Apolog. 1. ubi: *Dico quoſdam ſcelere, periurio, falſitate ad dignitatem neſcio quam perveniſſe. Quid ad te qui te intelligis innocentem? Quicquid dictum, in te dictum putas. In quoacumque vitium ſtyli mucro retorquetur; te clamitas deſignari. Quando ſine nomine contrà vitia ſcribitur; qui iraſcitur, accuſator ſui eſt.* Ni ſcabies hæreret pectori, haud formidaret ſcalpi. Præſagiunt fœtentes patulum, quod illis notum. Ovid. 1. *Faſtor.* v. 485. ſuccinit:

Hieron.

Qui de ſe prolata in cõmuni cogitat, ſeſe accuſat.

Conſcia mens, ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto.

Ovid.

Suſpicio ſignat ul cero ſum, vel maligrum.

Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos; quia iſti ſunt ſemen, cui maledixit Dominus: & dum nec tactus, tangi intimiùs arbitratur; ex abundantia cordis os in propoſitum loquitur.

8 Quid ergo in faſtum & ambitum Bernardus fulminat? Utrumque ſuis coloribus demonſtrat. *Contendit* (ſubdit de *Morib. Clericor.* cap. 2. n. 4.) *ambitio & elatio cordis. Altera nidum, altera foveam parat. Volare altera iubet, repere monet altera; cùm neutrum profectò ſit hominis. Quis enim es tu* (*ait hæc*) *Quis verò ille, vel ille eſt, aut quæ domus patris eorum, ut eis in aliquo cedas, aut verearis eos, ut vel aliquatenùs eis blandiaris? At bonus ſermo bonum invenit locum* (*ait Ambitio*) *& interdum quoque qui prodeſſe non poteſt, poteſt obeſſe: unde diſsimula. Primum vinum bonum pone, donec veniat hora tua. Varijs ſerviunt vitijs morum.* Improvidi humanam amittere gratiam nolunt, rectaque loqui liberè pertimeſcunt. *Ambitio* (infit, *Epiſt.* 126. à n. 2.) *ſæpe prorumpit in impudentiam. Tantò indigniùs ſupplicat, quantò humiliùs. Certè enim pro foro, ſacrario utitur; inſtar negotiatoris quæritantis lucra ſua, & modò hunc, modò illum explorantis venditorem; ut ab illo demùm emat quod amat, à quo vilius impetrare valuerit. Ita iſte ſolicitè ſibi Eccleſiaſticam dignitatem perquirit. Mirum, quod potuit ita in brevi dulce & amarum ex eodem fonte procedere.* Etſi abominabile, non mirum, quod aſtus æſtuſque foveatur intra pectus ambitioſum. Averſatur conditionem ictu querulus David. *Induantur confuſione & reverentia, qui magna loquuntur ſuper me.* Biblia Antiq. ex Hebr. legunt: *Perfundantur confunſione, verecundia, pudore & ignominia, qui grandiſona, maligna, egregia dicunt de me.* Primùm occurrit, confuſionis quomodò opprobrium, cum reverentia in cultum & plauſum? Dicet ambitioſus, dum adorat tantò indigniùs, quantò proiectiùs: igitur dum munus concupiſcit; quandiù pendet, ſordidè ſtudebit vel cerdonis reverentiæ, ſinè ulla reverentiæ atque adorationis confuſione: ubi ſi haberet frontem, pudor debebat operire faciem: verùm ſui oblitus propter honoris memoriam, mediaſtino deſpicabili minimè piget exhibere reverentiam. *Non enim eſt bonum, omnem reverentiam obſervare.* Haudquaquàm eſt obſequium, ſed ludibrium: quod quidem ob æſtimationem deſpicit, qui honorem ambit: etenim haud rubet propter conceptam vel in ſomnijs dignitatem; reverenter proſternere ſeſe uſque in confuſionem. Non eſt bonum, obſervare omnem reverentiæ, & bonum eſt,

Bernard

Superbia & ambitionis officia contraria.

Idem.

Ambitioſus loquitur ad placitum ſine cogitatione contradictionum.

Pſ. 34. 16.

Hebr.

Serviliter proiectus, ſi vellicat ambitus.

Eccl. 41. 20.

Etſi irrideatur, non pudore ſuffunditur.

eſt, obſervare omnis reverentiæ formam. *Non omnis honorificentiæ ſtudium, humilitas definitur: poteſt enim deferre alicui* (ait [Ambroſ.] Ambroſ. in *Luc.* 22.24.) *propter ſæculi gratiam, potentiæ metum, utilitatis contuitum.* Eſt, qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. Vel in confuſione non eſt confuſio. Seipſum degenerat, dum indignum adorat: at honor non deſpicitur propter ambitum; quippequàm adorat amplioris honoris commodum. Adorat ſolum potentiam, ut impetrare valeat potentis gratiam.

[Auguſtell.] *Et quid elegantibus refertum poſſit habere*
Gratijs per obſequia; nō gratia dira Catonis.

9 Reſtat ambitus diſcutere embolium. *Qui magna, qui maligna loquuntur ſuper me.* Unde ſimul magna & maligna? Magna, exprimunt meritorum laudem: maligna, frontis præ pudore verecundo confuſionem. Unde ergo huiuſmodi ſocietas? Iungit ambitus uſquequaquè procacitas. Cuius hoccine vitium, varijs ſervit vitijs morum. Verba accomodat omni vento, [*Ut audit ti placeat laudata vituperat, & econtrà.*] ut cedant commodo. Modò egregium virum, uti divinum extollit: modò uti indigniſsimum deprimit. Aſcendit uſque ad cœlos, deſcendit uſque ad abyſſos; quippe eius anima in malis tabeſcit, dum eſſe plus ambit. Interdùm dotes deaurat: eas interdùm devenuſtat: plaudit, deſpicit, arrogat, derogat, trahit, detrahit, ſublevat, aggravat; erga eandem entitatem affirmatione & negatione eiuſdem de eodem, & ſecundum idem: dicitque David *Magna* locuta & *Maligna*, *Grandiſona* & etiam *Ignominioſa* (iuxta conditionem ambientium, & morem aulicum) dum verba accommodant, ut per fas aut nefas placeant: igitur quùm quærant officium per blandiminis obſequium; ſi placet, dicunt egregia: ſi diſplicet, propudioſa: ita ut reverentia exhibita in dotium illuſtrem auctoritatem, convertatur & brevì in ludricam confuſionem. Unde ita brevì amarum & dulce ex eodem fonte valuit procedere? Ex Davidis acceptionis varietate. Magnus, dum Principi gratus: contemptibilis, inviſus. Inſignis, benè acceptus; malè verò faſtidioſus: [*In illo et bilingue cum duplici corde.*] magnaque & maligna produnt, dum ambiunt; confuſionem & reverentiam; præut eis placet, à quibus ſperant gratiam; ita ut grato, cordis reſpondeant dulcedini; & irato, pectoris amaritudini; labijs iniquis & lingua doloſa, quia in honorem ducit conditionis complacentia. Hinc Siracidis [Eccl. 51. 3.] ſtylo, *laqueus* dicitur *linguæ iniquæ.* Os ſanè iniquùm; unde iuxta Satyri ſententiam, prodit frigidum & calidum. Lingua profectò iniqua, à qua, & confuſio & reverentia, commendabilia & probroſa; ut gratia vigeat, & ambitus floreat: laqueique dicuntur applaudentium verba, duplicia corda, animique bilingues; quia ſiccine ad prædam trahuntur irretitæ dignitates: dicitque ambitus, quùm capitur honos.

Dicidit in caſſes præda potita meos. [Ovid. 1. de *Art.* v. 2.]

10 *Sed & Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos ſuos.* [Thren. 4. 3.] Hieronym. *Hyenæ.* Maluend. *Dracones, ſerpentes.* Unde nomen Lamiæ, videſis Plutarch. in *Demetrio.* Egimus de Lamijs, *Tom.* 4. *T.* 5. *n.* 66. & *T.* 13. *n.* 2. 6. *T.* 1. *D.* 3. *n.* 14. & *T.* 8. *D.* 5. *n.* 11. Unde Catullus, *Carmin.* 77. v. 80. accinuit:

Nudantes reiectà veſte papillas. [Catull.]

Sunt lamiæ ſpecioſo vultu, interiora verò plena ſunt dolo: igitur ſolicitant occurrentium gratiam, ſtructis technis in prædam. Adi Maluend. de *Anti-Chriſt.* 7. cap. 8. Rutilat gratioſa facies, ut implicent: [*Confertur lamiæ.*] denudant pectus, ut lactent: ſed explorantes animum; in propoſitum, uti ſerpens & draco vomunt venenum. In Hyena plus exprimitur ambitioſi perfidia, & ars doloſa. *Collum non flectitur. Oculis mille ſunt varietates & mutationes. Eius umbræ contactu obmuteſcunt canes:* [Raviſ. Text.] ſubdit Textor, d. ex Plin. qui *lib.* 8. *cap.* 30. inquit: *Acies ei perpetua in utramque partem.* [Plin. *Et hyena.*] Ælian. 7. *Hiſtor. Animal.* cap. 22. *Imitatur hominum voces.* Conditiones num beſtiæ, vel ambitioſi? Utriuſque ſanè, inhiantis prædæ & honori: igitur ſi ſpeculatur dignitatis celſitudinem; aciem vafer dirigit in utramque partem, miris varietatibus oculorum, ad aſpectum & reſpectum: ſiquidem ut malevolo aut benevolo ſit gratus, uti lamia nudat pectus. De quo intervenit ſermo? Principi acceptus? Eſt magnus. Malè audit? Planè ridiculus: imitatur voces hominum, in prædæ optatæ ſuffragium, quin cervis flectatur, ubi contrarium cognoſcitur: equidem in blandimen Principum verba dirigit, præut ad complacentiam congruit, depreſsis meritis, deauratis vitijs, [*Illius fraudes & colores verſipellis.*] cuius vocibus, qui electores, canes muti, & non valentes latrare. His pectus oſtendit, nequid quod in pectore latet. Appoſitè Maluend. hic: [Maluéd.] *Draconibus ineſſe mammas thecis quibuſdam incluſas.* Videtur pectus apertum feſtivà facie; ſed ambitioſi aliud pectus habent in pectore. Non unum cor. Corde & corde locuti ſunt: igitur cùm in munerum gloriam, ſtudeant anxiè conciliare gratiam; ubi latentes denudant mammas, apparent lamiarum & pravitas & iniquitas: ipſique larvati dæmones, pulchra facie dracones atque ſerpentes: qui propter pretextos thronos, ſtrophis varijs occuluerunt virus, ſcabie diſsimulata, quouſque per fraudes adveniret hora.

11 Haud Bernardum latuit huiuſmodi facies & propoſiti vafricies. *Ad idem notis pertinet ambientium genus* (ſubdit, 4. de *Conſiderat.* cap. 4. à n. 9.) *Aaulantem & ad placitum cuiuſque loquentem; unum de rogantibus puta, etiam ſi nihil rogaverit. Scorpioni non eſt in facie, quod formides,* [Bernard] *ſed pungit à cauda. Quantos quos ſupplices admiſiſti, poſtmodùm ſuſtinuiſti graves, inſolentes, contumaces, & rebelles? Quod quidem interiùs malum principia tegunt, poſteriora produnt.* Impetrata eſt panurgicè dignitas, atque nudaverunt mammas. [Ioann. 10. 8.] *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones;* dixit ambitioſis dignitatum Chriſtus. [*Unde qui in munus aſſumpti ductu ambitionis, latrones designatur & fures?*] Unde rapaces, atque petaces vocantur? Non miſi ſunt, ſed venerunt. Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat. Si mitterentur, mitterentur digni pro qualitate muneris: ſuntque fures & latrones; quippe ipſi venerunt, dignitatem ambientes. Fures & latrones ſunt. Palam latrones, clàm fures. Fures, ut honores emantur: latrones, ut in illis conſerventur. Fures, quia ſurripiunt dignitates à benemeritis: latrones quippe uſurpant dignitates. Oſtium aperiunt virtutes, & congruentes dignitatibus dotes. His datur aſcenſus, & non per ambitum thronus: fureſque & latrones ſignantur in adepta dignitate; quia fur & latro, qui aſcendit aliundè. Quiſquis conatur honorem ambire, ſatagit ſanè furari, haudquaquàm ut Reipublicæ conſulat: equidem fur non venit, ni ut furetur, & mactet & perdat. Sic enim ut accinit Claudian. 2. de *Laudib. Stilicon.* v. 116.

Excubat, & pretijs commercia poſcit honorū. [Claud.]

12 Eſt enim ſummum diſcriminis, inter miſſos à Domino in munera, vel ambientes: equidem præ diverſa electionis forma, palàm fiunt vel merita vel demerita; ut unuſquiſque ſuus ſit & ſui, & non fortunæ blandienti. [Deuter. 33. à 20] *Benedictus* (dicitur) *in latitudine Gad* (interpretatur *Felix*) *cepitque brachium & verticem: & vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* [*Dignitatis ſplendor, ſi eligitur doctor.*] Sanè felicitas, ubi maieſtati honoris accedit ex electione maieſtas: igitur principatus auctoratur ſplendor, quando reponitur Doctor: dilatantur glorioſæ infulæ dignitatis, ubi ad regimen aſſumuntur, qui dotibus illuſtriores. Unde ergo tanta proſperitas in Tribus felicitatem. *Cepit* (ad electionem) *brachium & verticem.* Vertex deſignat merita, brachium ſuffragia: feliceſque ſunt Vocales in articulo electionis, quando ſuffragantur meritis. [*Ambientes confidunt ſuffragijs, minimè meritis.*] Principatus polluitur vel illuſtratur per electos; quoniam ab his & dedecus & honos. Dedecus, ſi per brachium ambitur: honos, ſi vertex in honorem aſſumitur. Utrumque neceſſarium in maieſtatem & auctoramen thronorum: igitur qui avidè ſuperiùs aſcendit per ambitionem; monſtrat habere brachium, nequaquàm verticem. Vernaculè: *Quando para ſubir, dè los brazos ſe forma con empeños la eſcala; los pretendientes mueſtran, que no tienen ni meritos ni cabeza.* Abſiſtunt ſanè virtutes, ubi merita in ſuffragijs.

Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum, qui rectè facit. [Plaut.]

Ait Plaut. in *Prolog. Amphitruon.* v. 78. Qui deviant à rectitudine; aſcenſum expectant à prenſatione: derelinquuntque virtutes; [*Tunc & electi & electores ſine capite.*] quippe aſſumunt indignos favitores: & modò habuerint ſuffragia, quid ad illos vel merita vel demerita? Brachium ſolicitant in aſcenſum, & non verticem; dum electores per munera patiuntur etiam vertiginem. Hiſpanè: *Si ay præ manibus en la entrada, ſe les anda la cabeza.* Ducuntur ad munia munerum motu? Quid mirum, dum ambulant in circuitu?

13 Occurrit cogitationi articuli diſcrimen in functionibus filiorum Zebedæi. Petierunt thronos à generoſitate & amore Salvatoris, præcedente ad gratiam, & interventione matris; quaſi ad impetrationem dignitatum, apud illum valerent interceſsiones mulierum. Quod quidem *audientes decem cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne.* [Marc. 10. 41.] In gloriam montis hi duo cum Petro etiam fuerunt aſſumpti. [Ibid. 9. à 1.] Quomodò igitur cæteri non indignati? Maiorem invidiam videbatur fovere viſa cœleſtis gloria; quàm illius ad honorem futura gratia. Quare ergo prætermittunt collatum illis honorem; & quod futurum vel non futurum ſociorum provocat bilem? Modò ad honores venerant: pridem venerant honores: [*Vel modeſtis excitat faſtidiū, ambitu anhelare in thronum.*] grataque ſunt vel æmulis dignitates, quando veniunt; & ſummè faſtidioſæ, dum quæruntur. Pridem ſunt aſſumpti, modò ambitioſi. Pridem Chriſtus aſſumpſit. *Aſſumpſit Ieſus:* [Ibid.] nec proditori rivalis tabeſcit cor; ſi gloriæ conceditur elevatio, dum aſſumptio fit à Deo. Pridem Ieſus aſſumpſit, modò uti iuſtus repellit: indignanturque

que diſcipuli; quippe vel in modeſtis movet faſtidium, velle impetrare honores per ſolum ambitum. Turpe quidem quòd interventiones ambitu quærantur in celſitudinem; ſicut decus, quod merita quæſita ſint ad honorem. *Cupiditas præcipitat* (ſubdit Stoicus, *Epiſt.* 15.) *Non cogitamus, quàm iucundum ſit, nihil poſcere: quàm magnificum, plenum eſſe, neç eſt fortuna pendere.*

Seneca.

14 Econtrà animus acri pruritu ambitionis, ſui lactator, & qui (ut canit Virgilius, 10. *Æneid.* v.627.

Virgil.

——Spes paſcit inanes.

Zachar. 9. 12.

Gemit ſub ſe. Obmuteſcit & non aperit os ſuum. Meritò à ſacro Vate ambitioſi dicuntur *Vincti ſpei.* In futurum tendunt curæ, vivuntque ſine ulla rationis libertate; quin audeant bonum, bonum dicere, & malum, malum vocare; quia ſpe dignitatis vincti, at politicè ligati, adiguntur propter gratiæ labilis lubricum, dicere bonum malum, & malum, bonum. Huiuſmodi tabes cordis (canit Claudian. 1. in *Rufin.* v. 175.)

Vivunt ut irrationales, ſine uſu diſcretionis.

Claud.

———Maligno
Stamine fatorum claram irrepſit in aulam:

Qua gloria miſta malis, & gaudia mœſtis. Unde Ovven.. 2. *Epigr.* 7. & 4. *Epigram.* 262. ſuccinit:

Ovven.

Quiſquis in ambigua ſe non accõmodat aulà
Omnibus ingenijs, non habet ingenium.
Non benè cõveniunt; neq̃ in una ſede morãtur
Momus vituperans omnia, Gnatho nihil.

Vincti ſanè ſpei, ſine ratione & arbitrio ſunt: ubi ſonitu folij volantis trepidus pectoris animus, turbatus & non locutus. In Hebræo æquivocum eſt *Spes*, cura cogitatus, & onus. Videſis Verſiones in *Pſ.* 54. 23. Non enim gravius homini pondus, & cura; quàm cogitatus pungens cum ſpe tremulà. A SS. PP. ut vidimus, vulnera ſignantur; ſed ambitioſi cum impatientia patiuntur: & grata cordi punctim & cæſim ulcera; quippe inſania voluntaria: continuus hinc inde motus, labor & dolor, & afflictio ſpiritus. Hanc occupationem peſſimam permiſit Deus filijs hominum in hac miſera vita, ut miſeriùs ob ſpem occuparentur in ea. Satius eſt ſemel cadere, quàm tota vitâ pendere. *Video animum à civilibus officijs abhorrentem, & ab omni ambitu averſum* (inquit Seneca Rhetor, Præfat. in lib. 2. *Controverſ.*) *hoc unum concupiſcentem; nihil ſcilicèt concupiſcere.* Ex honoribus cùm curæ ambitioſæ ſint, quæ avidiùs ſperantur timenda ſunt: etenim fucus conſpicuus, ſed fucus; & in fortunæ libertate ſervitus. Unde pompam volitantem cordatus ductu virtutis.

Anxietates ambientium.

Spei onus

M. Senec.

Et fragiles hominũ ſemper cõtemnit honores.

Ludovi. Big.

DIDASCALIA III.

Peſtes Reipublicæ, detractores rumigeruli.

1 SEntentia excerpta ex Hieronymo, *Epiſt.* 27. ubi: *Suſurrones, quod hominum genus pernitioſiſſimum eſt. Qui non amant, & quærentes occaſionem in peccatis, garriunt adverſus fratrem ſuum* (ſubdit, *Epiſt.* 51.) *& contra filium matris ſuæ ponunt ſcandalum. Scribis, neſcio quem de trivio, de compitis, de plateis, circunforaneum rumigerulum, verum tantum ad detrahendum; feſtucam nitatur eruere, pro iuſtitia & contra iuſtitiam diſputare. Liberatus eſt mundus à periculo; quòd hic forum negligens, ſe ad Eccleſiam tranſtulit. Quis, hoc volente, fuiſſet innoxius? Quem criminoſum non huius ſervaſſet oratio?* Ita panurgica circumventio, ab hominibus è trivio; quorum voces è compitis è plateis, ut mulceant aures, fictâ in ludibrium famà, aut infamia; cùm fiant bipedum ardeliones & ludibria. Vulgò: *Traſtos, mequetrefes, avecbuchos.* Ovid. 9. *Metamorph.* fab. 3. & 2. de *Art.* v. 128.

Hieron.

Officia delatorum.

—Fama loquax pervenit ad aures,
—Quæ veris addere falſa,
Gaudet; & à minimo ſua per mẽdacia creſcit.
Illa referre aliter ſæpe ſolebat idem.

Ovid.

Hoccine in gratiam & blandimen potentium, totum ſtudium ſuſurronum malignantium. *Confundantur* (ait Propheta) *confuſione*; qua numquàm viſa in ſuſurronum facie: igitur inflati, atque iactabundi habent pro gloria, quod ab omnibus reputatur ignominia.

Iſai.

Illorum impudentia.

2 Furiæ ab Ethnicis vocatæ *Canes*, quarum ornatus ſerpentes, & brachia plena penetrantibus flagris. Adi La-Zerd. in Virgil. 6. *Æneid.* v.257. ubi: *Viſæque canes ululare per umbram.* Perpropriè Diris conferuntur rumi-geruli: igitur in flagellum proximorum, per umbram ut canes tendunt in morſus; & adinſtar ſerpentium evomunt virus. *In ſolio Iovis aſsidere dictæ ſunt, ut peſtilentiæ ad dolendas nationes*: inquit Natal. à Comitib. 8. *Mytholog.* cap. 18. & Virgil. (ut præmiſimus, *Tautolog.* 2. n. 18.) 12. *Æneid.* v.845.

Sunt canes, ſerpentes & furiæ potentum comites.

Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ.
Hæ Iovis ad ſolium, ſævique in limine Regis,
Apparent.

Virgil.

Primates dicuntur *Humani Ioves*; & dùm in ſolio, pro rumigerulis aſsident Furiæ; quia nonnumquàm ſuſurrones ſunt à Superiorum latere: qui ut captent aucupantes potentium gratias; ſine rubore illos impellunt in furias. *Suſurratio eſt ad ſeparationem amicitiæ, detractio verò ad denigrationem famæ* (ait D. Thomas, 2.2. *quæſt.* 74. *art.* 1.) *conveniunt in materia & forma, ſive in modo loquendi.* Qui optimus motibus; propter illos eſt acceptus, ac pravorum inimicus. Quandiù floruerit probitas, cadet ſuſurronum malignitas, conantium thronis potentatum aſsidere; ut aſſeſſores iuris valeant tamquàm circumſpecti excludi: in materiaque & forma detractoris ſimul & ſuſurronis fit convenientia; quippe ſuffecti præoccupant locum, in thronis ſatuorum Principum: igitur diſrumpitur vinculum amicitiæ, fictâ à malignis denigratione famæ. Sunt Furiæ ſervæ Iovis, & modò Plutonis Ditis. Quomodò mutata loca, ita ut quæ in cœlo, poſtremò aſsiſtant in barathro? Cogitavit Iupiter in illis habere gratias, & invenit virulentiſsimas furias; ſicut plures Principes fideles arbitrantur miniſtros, aliorum criminatores & rumigerulos: unde cùm huiuſmodi conſiliarij & aſſeſſores ſint reipublicæ peſtes; ne cœleſtem contaminarent thronnum, præcipitavit fulminibus in infernum. Moleſtum ſanè cordato atque pacifico Principi; in furorem ſerpentes trahere pendentes ab aure.

D. Th.

Diſcrimen ſuſurronis, & detrahentis.

Uterque à throno in infernum truſus.

3 Cùm è Meſopotamia Iacobus exul rediret in patriam, novam vel in ſervis inſtituit vivendi formam. *Convocatâ omni domo ſua, ait: Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt.* Non plenam habet in uſu dominationem; qui ſervos, quoniam accepti, indulget vivere in conſcientiæ libertatem. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum; & ille infodit ea ſubter terebinthum.* Cum Dijs tradiderunt etiam adorantium inaures, quoniam in illis ſimulacrorum effigies, quarum figura & dracones & ſerpentes. Late egimus, *Tom.* 3. *T.* 1. *à n.* 12. Unde Clem. Alexandrin. *Pædagog.* 2. cap. ult. infit: *Quæmadmodùm Evam ſerpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus aureus, utens eſcà, ſerpentis figurà, in probra furioſè impellit, nempè murenulas quaſdam aureas, & ſerpentes ad decorem effingens.* Ergo inaures cum ſerpentium figuris, ut pax eſſet in domo ſuffodit ſub terebintho. Opprimimur cæco nodo. Sì infodit, & à ſuis removit; in tota domo inaures idolorum habebat nullus. Unde igitur erant in illorum auribus? Dicat: *Quæ fuerant in auribus* ſerpentum ſimulacra: ceterum *quæ erant*, poſtquàm fuere ſuffoſſa? Utique. In articulo exprimitur effectus rumuſculi, in aure Principis, Iudicis, ac Præſidis fatui, ad vocem qualem qualem facilis corde; detractione delatoris in impoſturam, atque denigrantis famam. Has inaures (quæ ſerpentes) habent in ornatum dignitatis, qui ſuſpicioſi in directione reginimis. Explorant vocem, ut inveniant ex ſuſurro, aut murmure veritatem. Claret fallax atque mendax notitia, veritate ex examine inventa: repellitur delator, vox ſerpentis ex inaure ſepelitur: cognoſcitur dolus: & vox quæ in auribus fuerat, manet vellicans in auribus; quoniam maligni ſuſurro, ſerpentis veneno, ita ingeritur ſuſpicio; ut (veritate cognità, famà illæsà, ac falſificata voce) ſpecies ſemel audita nonnumquàm pendeat ab aure.

Gen. 35 2.

Verſ. 4.

Clem. Alex.

Vox ſuſurronis ſemper pendet ab aure etiam, præmiſſa veritatis cognitione.

4 Semina in animo rumigerulus relinquit; & qui ſemel audivit, etiam audit, quod non audit. *Quemadmodùm* (infit Senec. *Epiſt.* 123.) *qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi; ſic adulatorum, & prava laudantium ſermo, diutiùs hæret, quàm auditur. Nec facile eſt, animo dulcem ſonum excutere: proſequitur & durat, & ex intervallo recurrit.* Canit etiam Claudian. 1. in *Ruffin.* à v. 70.

Senec.

Suſurrus cur muſicæ ſimilis, & motui maris?

—— Alitur rumor, ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cùm flamine fracto
Durat adhuc, ſævitque tumor, dubiumque per æſtum
Laſſa recedentis fluitant veſtigia venti.

Claud.

Haud ſecus uſuvenit, quando delatores habent Principes (quorum ſerpentes inaures) in vocibus vage auditas, & in cordolium perfert quandoque curioſitas: quæ quidem harmoniam, alias cogitationes impedientes, conficiunt; vel dum ſepeliuntur, & ab aure removentur. Sicut pudor ſemel egreſſus, non redit in faciem; ſuſpicio ſemel ingreſſa, cordis numquàm egreditur limen. Unde venena ſimulacrorum ſerpentium (rumuſculorum imaginum, atque idola in aure Principum) quæ fuerant tamquam inaures in aure, vel proiecta, in aure dicuntur eſſe; quippe in ſuſpicionem quamvis ſuffoſſa terris, pruritu vellicant aures. *Inaures, quæ erant in auribus eorum.*